

*Si alius pro muliere, quae intercessit, dederit hypothecam, aut pro filiofamilias, cui contra Sctum creditum est, an bis succurritur, quaeritur, et in eo quidem, qui pro muliere obligavit rem suam, facilius dicetur succurri ei, sicuti fideiussori buius mulieris eadem datur exceptio, sed et in eo, qui pro filiofamilias rem suam obligavit, eadem dicenda erunt, quae tractantur et in fideiussore eius.*

d. Hoc quoque haud obscure perspici potest ex L. 11. ff. de fideiussoribus. Ibi enim : *Qui contra Sctum filiofamilias crediderit, mortuo eo, fideiussorem a patre accipere non potest, quia neque civilem neque honorariam adversus patrem actionem habet, nec est ulla hereditas, cuius nomine fideiussores obligari possunt.*

Quibus commoti argumentis plurimi magni nominis Ictorum non dubitarunt, huic quam protuli, subscribere sententiae x).

### §. XI.

**Argumentum I.** Adversariorum proponitur et refellitur.

Quis vero crederet, tanta legum perspicuitate tamque expressa ac clara dispositione adhuc existere,

B

hanc

x) Inter caeteros quosdam allegasse sufficiat. G. A. SCHUBERTH diss. de fideiussione pro filiofamilias mutuum contrahente invalida. Lipsiae 1723. Illustr. J. L. E. FÜTTMANN in Probabil. iur. libr. singular. p. 134. Lips. 1768 de IENA tractat. de Scto Macedon. Sect. 3. aphor. 16. ANT. FABER in Rational. ad tit. de Scto Macedon. p. III.